

Ad Lectorem.



raberis fortè tam benevole quam
critice Lector post tot in lucem
edita ingentia Theologiae Scho-
lasticæ volumina, post innuine-
ra Typis data magno studio
compilata in sententias Petri Lombardi, in
summam Aquinaticam commentaria in pu-
blicum prodire quoddam theologicæ scien-
tiæ acquirendæ adjumentum, quasi verò hâc
temporum serie quidquam videri posset,
quod à tot doctissimis pariter ac inquirendæ
veritatis studiosissimis viris perspectum non
fuerit; aut litterario orbi tradi, quod eidem
nondum superfluè communicatum fuerit;
vel novum quid inveniri, quod antecedenti-
bus fuerit ignotum; verum mirari desines,
quisquis hæc aut his similia tecum agitas, si
finem exigui hujus operis à me intentum ex-
pendere volueris; novum scribere nec volui
nec debui, qui Patres & Majores meos inter-
rogare jubeor, ut annuntient mihi, qui pro-
bè teneo, omne novum si non falsum saltem de
falsitate suspectum esse. Verum optima &
optimè scripta novo quodam à sacrâ facultate
Theologicâ Coloniensi tum ad excludendas
sententiarum novitates, tum ad præcavendas
inutiles ac movendas necessarias & utiles
Quæstiones electo modo publico transmittere
volui. Communibus decretis vetuit laudata
modo facultas alias publicis Disputationi-
bus

Ad Lectorem.

bus in patente Theologiæ auditorio Theses proponi, nisi quæ forent resolutiones Quæstionum in ordinem redactarum desumptæ vel ex summâ Doctoris Angelici vel ex assertioneibus Anno 1638. jussu facultatis Theologicæ editis, aut pro exigentiâ materiæ ex Concilio Tridentino vel jure Canonico. Quo decreto hoc certè obtinuit, ut quævis novitates procul à publicis Disputationibus abessent, ac nonnisi recepta majorum propugnarentur dogmata. Huic proposito conformiter è re fore judicarunt tam communis quam privati per generales Disputationes augendi profectus studiosi, si secundum sacræ facultatis ordinem obviæ singularum Quæstionum resolutiones & explicationes Candidatis exhiberentur, quod modo intendo, an assequar, aliis dijudicandum relinquo. Duceam in hâc methodo cum laude memoro Eximum Magistrum D. Annonem Schnorrenberg Canonicum Præmonstratensem Ecclesiæ Steinfeldenfis pia memoriam, dum viveret Ss. Theologiæ Doctorem & Collegii Norbertini Præsidem, cui etiam maxima hujus Theologiæ Pars (ut fontem, ex quo hauris, coronare ingenuè temoneam) in acceptis est referenda, ut noverint ii, in quorum manibus hujus Viri verè Eximi scripta secundum Theologicæ facultatis Coloniensis ideam digesta adhucdum versantur, ejus proinde relicta, quò pluribus servire possent, communicans ejusque

Ad Lectorem.

que plerumque doctrinam sectatus totum opus in aliquot Partes divisum ut æquè foris ac domi commodo sit usui , in Disputationes & Quæstiones disperiar, respondebitque singulis Quæstionibus una , vel secundum quod res feret, altera Conclusio ex fontibus suprà indigitatis desumpta , cum tali expositione , quæ sedulam tamen explicantis auscultationem non respuat , sed potius requirat, quin & calamum identidem explicata excipientein , ne, quod animadversum aliquoties fuit, Typus socordiam foveat. In sententiarum delectu ità medium tenebo , ut exacticas ac à studio Coloniensi alienas semper declinem , atque ità proprias stabiliam, ut contrarias minimè, nisi cum Ecclesiâ Catholicâ, damnem. Prolixitatem citationum, quas legentibus nauseam sæpè creare experientia docet , vitabo, non deerunt Authores , in quibus & propriæ & contrariæ opiniones latius videri poterunt. Uttere igitur labore hoc humanissime Lector , & si quidein emolumento tuo cedat, quod post Dei gloriam unicè peto , id solum abundantis remuneratio- nis loco reputabo , si verò minus arrideat opus , saltem intentionem improbare non poteris. Errores, si qui fortè diligentiam meam effugerint, ex antecedentibus & consequen- tibus ipsoque sensu prudenter colligere & corrigere poteris , ac memineris humana pleraque imperfectionibus laborare. Vale.

Elenç.